

Za
3264





La 3269

6

LESSUS.

FACTUS. IN. FUNERE.

VIRI. PL. REVERENDI. NOBILISSIMI.

ET. CONSULTISSIMI.

D. JOANNIS. BORNII.

IN. HILMERSDORF. JCTI. ACA-

DEMIAE. LIPSIENSIS. ANTECESSORIS. AC. DE-

CEM-VIRI. CANONICI. NUMBURGENSIS. FACUL-

TATIS. JURIDICAE. ASSESSORIS. UT. ET. SUPRE-

MAE. CURIAE. PROVINCIALIS. ADVO-

CATI. SENIORIS.

LIPSAE, D. VII. AUGUSTI. A. O. R.

M. DC. LX.



LITERIS. CHRISTIANI. MICHAELIS.

6





ET Themidos *Fontem Fons vitæ à fonte malorum*
Abripit ad *fontis* nobilioris aquas?
Quid mirum est miseram, Themis, Te siccamq; videri,
Abstulerint *Fontem* quum Tibi fata Tuum?
Signa tamen manifesta Tibi tua damna levabunt,
Quòd Nati similes tempore Patris erunt.

Johannes Ittigius, Phil. & Med. D.

Phyf. P. P. Colleg. Duc. Colleg. Academia
Decemvir & p. t. R E C T O R.

NE fortassè putes, *fontem hunc* siccarier unquam,
Ad *primum Fontem* jam redit, ecce! suum.

f.

D. S. L.

UT fons illimis, niveis argenteus undis
Per varios ductus exit & arva rigat:
Claræ fons Themidos, filiis fons natus amœnis,
BORNIUS, electro clarior, uber aquis,
Sic doctrinarum rivos & brachia pandens
Communi vitæ commoda multa tulit.
Clauditur ante diem, nondum ac sat prata biberunt,
Fons celebris, campis dignior Elysiis.

Georgius Tobias Schwendendorffer D.

Facult. Jurid. Ordinarius.

Patronum Musæ, Columen Republica, Conjunx
Amisit Socium, Progeniesqve Patrem
Grande malum! Sed cum viduatur amicus amico
Hoccine non fuerit, par, graviusvè malum

Hinc

Hinc graviter doleo, terris dum BORNIVS exit
Qvi Collega mihi, & Carus Amicus erat.

*D. Michael Cronberger / Sereniff. Elect.
Saxon. à Consil. Appellat. & Assessor Facul-
tat. Jurid, Lipsiens.*

Ad B. defuncti Dominum Filium,

Paternarum virtutum heredem.

Quem toties Musis, Patriaq; Tibiq; vovebam

Innumeros numero vivere posse dies,

Invida defubito, BORNIVS, vis mortis avaræ

Subtraxit Patrem, Praesidiumq; Tuum.

Hinc lacryma, mistusq; dolor singultibus, urnæ

Dona Patris veniunt summa dicanda Tibi.

Condoleo, graviterq; fero mihi morte inopinâ

Ereptum, quo cum vivere dulce fuit.

Quid facias? Quod vult Virtus Divina ferendum.

Quod placet huic, homini haut displicuisse decet.

Ergo feras. Nos supremum praestamus Amico

Inviti officium atq; ultima verba damus:

Sit Functore quies, & mixta Quiritibus aethra

Mens in conspectu vivat, ovetq; DEI!

Ast Tu ter felix, Magni Patris AEmule, crescas,

Ac reddas orbi, mors quod avara tulit!

scribeb.

Franciscus Romanus, J. U. D. & P. P.

Epitaphium.

Qui jura & leges colui, docuique fideli

Quo licuit studio, dexteritate, fide.

Qui pia consiliis juvi studia atque labores

Clarus honoratâ Doctor in arte fui.

Hac Ego post mortem clausus cubo BORNIVS urnâ

Corpus habet tellus spiritus astra subit.

Vivito quisque memor læthi vitæque futuræ,
Lætus Ego expecto vos Abrahæ in gremio.

*Hoc extremos beatè defuncti honores
celebraturus erexit*

Tobias Mæbius, J. U. D.

Fontis erat Nomen, tua dum Tibi vita superstes,
Præstite Te Miserum, Fonsq; perennis eras.
Ast Fontem superum sitiens, Fons definis esse,
Ipseque de riguo Fonte rigaris aqua.

*Enoch. Heiland / J. U. D. Fac.
Jur. Ass.*

Si, quicumque sui similem post fata relinquit
Nomen & egregium, haud totus obire potest;
Parte sui vivus meliori BORNIIUS hic est,
Cumque Deo verè vivit ovaturque suo.

Lugens scrib:

Amadeus Eckolt / D.

Quam nunc inani cuncta fervent ambitu,
Legesque pravo more Juliae silent,
Justi sacerdos atque recti BORNIIUS,
Prensare si fas est, ait, caelum peto;
Terrena linquit ambeunda caeteris.

Subito fac.

Paulus Hornigius, Fil. D.

Ad Clariss. Dn. Jacobum Bornium,

J. U. Licentiandum.

Concessum fati est tuo dolori,
Luctum ponito, nec dolere pergas,
Parcas fletibus: Haud sinunt rogari
Parca, nec lacrymis PARENS movetur.
Non fas est revocare fata luctu,
Nunquam manibus est datum reverti.

Quia

Quia compescito turbidum dolorem,
Exemplis mala mitiora fiunt,
Nec solus tua plangis illa fata,
Tecum Patria, BORNIIQ; CLARI,
Nos sortem lacrymabilem dolemus;
Et fati gemimus prementis iram:
At felicibus ille cum catervis
Sacris cœtibus asidet piorum.
Ergo (nec grave sit tibi moneri:)
Luctum ponito turbidosq; fletus
Concessum satis est tuo dolori.

B. L. Svendendorffer, M. J. D. & P. P.

Vix bis septeni fugerunt ordine soles
BORNI, heu! urbis quondam, dum vita manebat
Non exile decus, nunc ast novus incola cœli,
Cum de membrorum conquestus robore fracto,
Et Patriarcharum recolens longissima sæcla
Illorum historiam vocem quam plurimum in istam
Desinere ajebas: *tandem quoq; mortuus ipse est,*
Innuere hisce volens verbis, fortè hanc modò vitæ
Non procul à Temet fragilis quoq; clausulam abesse.
Irrita verba fide, dolor! haud caruere, jubet nos,
Heu! Malus eventus de Te quoq; dicere idipsum
Quod de primævis dicit sacra pagina, *vixit.*
Verùm, cum similem vitam hîc Tu vixeris illis,
Consimili haud tantùm vitæ es quoq; sine potitus;
Verum etiam simili gaudes sine fine triumpho,
De quo, heu! nunc queruli Tibi congratantur amici.

L. Gotfredus Sluterus, Organi Aristot. Prof. P. & Major. Colleg. Collegiatus.

A&Ω.



A E Ω
J E S U S!
Johannes Bornius, Jurium Doctor.

ἀναγε.
Hic Vir sanus in bono DEO moritur.

••(0)••

Vir sanus probitate, fide, in DOMINO q̄; DEO q̄;
Non moritur moriens, sed petit alta Poli:
In summè, ecce! bono Domino q̄; DEO q̄; JEHOVA,
Hic moritur sanus Vir probitate, fide:
Ergò non moritur moriens, sed morte renatus
Vivit, & æternùm regnat in axe Poli,
Iusta hac piis manibus Mecenatis sui meritò
persolvebat

M. Johannes Frenzel.

Siderei veluti fontes fax sicca Leonis
Sorbet, & exhaurit quicquid ubiq̄, madet;
Arida sic mortis cunctos consumit orexis,
Largius utq̄, bibit, siccior usq̄, furit.
BORNIADAE tanto quoq̄, fons exaruit aestu:
Quæ poterit rabidam vena domare sitim?

Ultimis Adfinis, atq̄; Patroni sui desidera-
tissimi honoribus scrib.

M. JOHANN-CHRISTOPHORUS Sichter/
Facult. Philosoph. & Collegii Principis
Collega.

Ad beatissimè defunctum, quondam Consultissimum
DN. D. BORNIUM.

Ille Ego, qui quondam spinosa volumina Juris
Et variam PRAXIN, TE PRÆCEPTORE, peregi;
Qui quantum valeat facundæ gratia lingvæ
Quum judex doctis litem dissolvit arenis,
TE DUCE cognovi, MERITO & PIETATE coactus
Nunc interclusas singultu tertio voces,

Atque

Atque Tuum lacrymis, ceu præfica, lasso feretrum
Sancte VIR: Ah pertriste TIBI pro munere læto
Officium reddo; nam me arolentia Fati
Omnia quæ vertit, dignum TIBI reddere munus
Haut finit; at madidos cogit me scribere versus;
Si tamen hinc posses, ceu credidit alma vetustas
Aut melius dormire, aut tristi reddier urbi
Nunquam Ego cessarem pro TE, VENERANDE PATRONE,
Hoc fletu Manes hæc Numina voce movere:
In lacrymas irem totus, miseroq; tumultu
Omnia miscerem, resonaret Lipsia luctus
Funderet ac mecum verba inter singula fletus.
Sed frustra est. (cheu! iterum mærore recedet
Mens animusq; mihi.) queis Lux semel occidit alma
Perpetuas illis dictavit Juppiter umbras.
Nil juvat hæc luctus; nam nullis ILLE movetur
Vocibus ac lacrymis. Hinc TE, VENERANDE PATRONE
Lugeo ut AMISSUM, & dulcissimam lumine cassum
Inter & ABSENTEIS, semperq; diuq; SILENTEIS
Invitus numero, bustumq; hoc carmine signo:
BORNIUS. ANTISTES. JURIS. LEGUMq; SACERDOS.
CUI. THEMIS. IPSA. SUUM. PECTUS. RECLUSERAT.
IPSA
ULNIS. QVEM. FOVIT. FAMULANS. ASTRÆA. SACRA-
TIS.
HINC. ABIIT. CÆLIQVE. EST. ALTA. PARTE. LOCATUS.
AT. GNATUM. INGENII. POLLENTEM. DOTE. RELI-
QVIT.
HIS. TERRIS. PATREM. SIC. VIX. SENTIMUS. ABIRE.

f.
Paulus Franciscus Romanus.

EPI TAPHIUM.

P*Hænicis hoc nôris Vsatôr; conditi
Themidos celebris, BORNII, busto jacent*

Cineres

*Cineres: li non induent ipsi quidem,
Dum stabit, hic quodcumq; continet globus,
Mortale schema pristini unquam corporis;
At inde Phœnicem tamen natum brevi
Alium futura mox dabit Licentia.*

*συμπόσιον & ponebat
M. Johannes Petrus Klipperus,
S. S. Theol. Cultor.*


Felix, qui potuit Systema relinquere Mundi,
Visere cui licuit Sidera clara Poli!
Scilicet in terris homines mala mille coërcent;
In cœlis contra gaudia mille fovent.
Ergò quis cœlum terrâ mutare retractet,
Ad veram Vitam mors quia nostra trahit.
BORNIUS hinc Noster celeri pede transit ad astra.
Non placuit mundus: Cœlica Regna placent.
Ad Fontem Vitæ sic Fons ex Fonte malorum
Transit, & ex illo dulcia mella bibit.
O! Utinam labiis liceat quoque tangere nostris
Cœlestem Fontem! Cui libuit, licuit.

*Ita desideratiss. Matrueles obitum,
prosequatur
Gotfridus Crusius, Medic. Cultor.
Lipsiensis.*

SAt Tibi, sat famæ vixisti, Maxime Borni;
Non orbæ domui; Non mihi; Non aliis.
Perdidit illa Patrem: Patronum ego: Publica Fidum,
Commoda Fantorem: ô quam nimium ergò cito!

*Ita dolebat
Abraham Frenberg/ Jur. Stud.*

F I N I S,



Handwritten text on the spine, including "M.C." at the bottom.

3
ULB Halle
003 730 506






LESS
FACTUS. IN.
VIRI. PL. REVEREN
ET. CONSUL
D. JOANNIS
IN. HILMERSDO
DEMIÆ. LIPSIENSIS. AN
CEM-VIRI. CANONICI. M
TATIS. JURIDICÆ. ASSE
MÆ. CURIÆ. PROV
CATI. SEN
LIPSIÆ, D. VII. A
M. DC.

LITERIS. CHRISTIA

